BQT
265
.K2

BQT
265
.K2

KAPTAN

Veterum doctorum De Revelatione

Ms

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/veterumecclesiae00kaft

VETERUM ECCLESIAE NOSTRAE DOCTORUM DE REVELATIONE DIVINA TANQUAM PRINCIPIO THEOLOGIAE DOCTRINA EXPONITUR ET DIJUDICATUR.

DISSERTATIO HISTORICA ET DOGMATICA

QUAM

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

AD IMPETRANDAM VENIAM LEGENDI

ILLUSTRISSIMI JCTORUM ORDINIS CONCESSU

DIE VII M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIII HORA X

IN AUDITORIO JURIDICO

PUBLICE DEFENDET

JULIUS KAFTAN

THEOL. LIC. PHIL. DR.

LIPSIAE

TYPIS E. POESCHELII ET SOCIORUM.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

MAY 6 - 1935
7904

Theses.

I.

Petrum apostolum in epistola priore III, 19 de salute apud inferos praedicata loqui, contextus demonstrat.

II.

Cajus Presbyter Joannem apostolum apocalypsis auctorem esse testatur.

III.

Formulae Concordiae de libero arbitrio sententia est propanda.

IV.

Errat, quicunque ullo modo sanctae trinitatis mysterium ratione probare vel etiam illustrare conatur.

V.

Mendacium in ullo casu necessitatis comprobari posse negandum est.

VI.

Notio praescientiae divinae ad quaestionem de praedestinatione et libero arbitrio solvendam non valet.

BQT
265
.K2

Antequam ipsam aggrediamur doctrinam, de qua disputaturi sumus, pauca de ejus origine videntur praemittenda esse, ut et qui primi eam exposuerint et qui jam ante quodammodo ad eam accesserint, perspiciatur. Namque doctrina quaevis eo melius intelligi potest, quo accuratius consideratur, ubi nata et quomodo progressa sit.

Atque accuratius in rem inquirenti theologorum, quos vocant scholasticos, posteriores doctrinam nostram primi videntur exposuisse. Nam theologiam ab aliis disciplinis quodammodo secernendam esse, quippe quae non utique argumentis et judicio rationis humanae, sed in nonnullis rebus dijudicandis sola auctoritate divina niteretur, theologi illi primi docuerunt. At primordia aliqua hujus doctrinae usque ab initio in theologia exstiterunt.

Huc enim spectant, quae priscae ecclesiae doctores de ratione docuerunt, quae inter fidem christianam et philosophiam ethnicorum intercederet. Nam de hac ratione, necesse erat, certum judicium ferrent, qui philosophia adjuti fidem suam intelligere et probare studerent. Philosophia autem ethnicorum solis intellectus humani opibus et viribus utitur. Itaque de ea quae theologi ecclesiae priscae judicaverint, si exposuerimus, elucebit, qualis eorum fuerit sententia de theologiae cum alia scientia humana comparatae singulari proprietate.

At vero de philosophia ethnicorum inter theologos illos non conveniebat, sed alteri aliquam ei veritatem inesse censebant,

alteri ut prorsus eam reprobarent, haud multum aberat.[1]) Justinus enim, cui Martyris cognomen est, et theologi scholae illius, quae Alexandriae florebat, philosophiam graecam contendebant *λόγου θείου* quadantenus participem esse, Tertullianus autem et qui eum secuti sunt ethnicorum philosophiam haud minus quam religiones opus daemonum habebant.[2]) Priores igitur philosophiam non aeque ac religiones ethnicas condemnant, sed eam quodammodo religioni verae scilicet christianae aequalem fuisse putant. Sic Justinus in dialogo cum Tryphone, ubi senem aliquem, quocum collocutus est, religionem christianam veram esse sibi persuasisse narrat, verbis disertis profitetur, et hanc religionem philosophiam et se, quia christianus factus sit, philosophum esse.[3]) Atque idem, ubi in Apologia priore de persecutionibus christianis loquitur, se eas non mirari dicit, quod ethnici etiam Socratem ut impium et atheum necaverint, *λόγος* autem non solum apud Graecos per Socratem, sed etiam apud barbaros forma indutus et homo factus et Jesus Christus appellatus suam promulgaverit sapientiam.[4]) Philosophiam igitur graecam revelationem esse ducit ejusdem *λόγου θεοῦ*, qui postea homo factus

---

[1]) Daniel: *Tatianus der Apologet. S. 122: Auch theilen sich ja nach dieser Verschiedenheit die Kirchenlehrer der ersten Jahrhunderte in zwei grosse Reihen, von denen die eine die Philosophie als vorbereitendes, ja wohl erläuterndes Element gelten lässt, die andere sie mit Heftigkeit dem Reiche der Dämonen überantwortet.*

[2]) Tertulliani Apologeticus c. 22: Sciunt daemones philosophi, Socrate ipso ad daemonii arbitrium expectante. — Ib. c. 46. Nomen hoc philosophorum daemonia non fugat. Quidni? quum secundum deos philosophi daemonas deputent.

[3]) Justini Dialogus cum Tryphone c. 8 (Opera ed. Otto II p. 32): *Διαλογιζόμενός τε πρὸς ἐμαυτὸν τοὺς λόγους αὐτοῦ ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον. Οὕτως δὴ καὶ διὰ ταῦτα φιλόσοφος ἐγώ.*

[4]) Justini Apologia I c. 5 (I p. 148): *Καὶ ὁμοίως* (sicut contra Socratem) *ἐφ' ἡμῶν τὸ αὐτὸ* (necare nos) *ἐνεργοῦσιν· οὐ γὰρ μόνον ἐν Ἕλλησι διὰ Σωκράτους ὑπὸ λόγου ἠλέγχθη ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἐν βαρβάροις ἐπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου, μορφωθέντος καὶ ἀνθρώπου γενομένου καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ κληθέντος.*

in terra ambulavit atque religionem christianam instituit.[5]) Quam vero omni philosophiae praecellere dicit, quod philosophi *λόγον* non habeant nisi aliqua ex parte, christiani autem totum amplectantur *λόγον*, qui homo factus pro nobis Christus exstiterit.[6]) Sed etiam aliud dicit accedere: eo quoque religionem christianam praecellere philosophiae, quod omnibus communis sit. Nam Christo — inquit — non philosophi solum et literati homines credidere, sed operarii etiam et omnino imperiti, quae virtus est patris inenarrabilis, non artificium rationis humanae.[7])

Docet igitur Justinus, philosophiam aequalem quidem esse religioni christianae, quod *λόγου* particeps sit, inferiorem autem, quod non totum habeat *λόγον*. Atque Clemens et Origenes, theologi Alexandrini, idem sentiunt et docent.[8]) Cui sententiae doctrina de revelatione divina tanquam principio theologiae, quum

---

[5]) Justini Apologia I c. 46 (I p. 230): *Χριστὸν λόγον ὄντα, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχεν.*

Apologia II c. 13 (I p. 312): *Χριστιανὸς εὑρεθῆναι καὶ εὐχόμενος καὶ παμμάχως ἀγωνιζόμενος ὁμολογῶ, οὐχ ὅτι ἀλλότριά ἐστι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐστὶ πάντῃ ὅμοια, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων, Στωικῶν τε καὶ ποιητῶν καὶ συγγραφέων.*

[6]) Justini Apologia II c. 10 (I p. 304): *Μεγαλειότερα μὲν οὖν πάσης ἀνθρωπείου διδασκαλίας φαίνεται τὰ ἡμέτερα διὰ τὸ λογικὸν τὸ ὅλον τὸν φανέντα δι' ἡμᾶς Χριστὸν γεγονέναι, καὶ σῶμα καὶ λόγον καὶ ψυχήν.*

[7]) Justini Apologia II c. 10 (I p. 304): *Σωκράτης εἶπεν· Τὸν δὲ πατέρα καὶ δημιουργὸν πάντων οὐθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὐθ' εὑρόντα εἰς πάντας εἰπεῖν ἀσφαλές. Ἃ ὁ ἡμέτερος Χριστὸς διὰ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως ἔπραξεν.*

Ib. (I p. 306): *Χριστῷ οὐ φιλόσοφοι οὐδὲ φιλόλογοι μόνον ἐπείσθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι καὶ παντελῶς ἰδιῶται, καὶ δόξης καὶ φόβου καὶ θανάτου καταφρονήσαντες· ἐπειδὴ δύναμίς ἐστι τοῦ ἀῤῥήτου πατρὸς καὶ οὐχὶ ἀνθρωπείου λόγου κατασκευή.*

[8]) Clemens, Paedagogus I, 7: *Ὁ δὲ ἡμέτερος παιδαγωγὸς ἅγιος θεὸς Ἰησοῦς, ὁ πάσης τῆς ἀνθρωπότητος καθηγεμὼν λόγος, αὐτὸς ὁ φιλάνθρωπος θεός ἐστι παιδαγωγός.*

Stromata I, 5: *Ἦν μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία.* — Ib. *Ἐπαιδαγωγεῖ αὐτὴ (ἡ φιλοσ.) τὸ Ἑλληνικὸν ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς Χριστόν.* Sed philosophia non sufficit: Stromata I, 7. VI, 17.

insufficientia rationis et intellectus humani nitatur, prorsus videtur opposita esse. Sed tamen inter theologos veteres ecclesiae nostrae et illos de hoc convenit, esse notitiam Dei naturalem, christianam autem ea praestantiorem esse. Quod etiam inde perspicimus, quod priores theologiam exponentes naturalem saepissime testimonia philosophorum, imprimis Aristotelis afferunt.

Contra Tertullianus, veritatem christianam philosophis omnino occultatam fuisse, censet et philosophiam prorsus contemnit.[9]) Sin vero homines etiam ante domini Jesu Christi adventum et extra fines Israelis Deum non prorsus ignoravisse concedit et affirmat, hoc non philosophiae adscribit, sed animae humanae, naturaliter christianae. Cujus ubi testimonium ad veritatem christianam probandam affert, eam rudem et simplicem neque philosophia imbutam compellat.[10]) Quo minus enim anima humana philosophia imbuta et scholis exculta sit, eo magis eam expeditam et promptam esse putat ad veritatem christianam agnoscendam. Nam quae animae impolitae et idioticae quadantenus naturaliter jam nota sunt, eadem christiani certius et accuratius sciunt,

---

[9]) Tertulliani Ad Nationes I, 4: Sed veritatem saeculo operosissimam philosophi quidem affectant, possident autem Christiani.

Ad Nationes II, 2: Sapientiae philosophorum infirmitatem prima haec contestatur varietas opinionum, veniens de ignorantia veritatis.

Ib. Exstant testimonia tam ignoratae quam dubitatae inter philosophos veritatis.

[10]) Tertulliani Apologeticus 17: Anima humana, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis deis exancillata, quum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus, ‚Deus bonus et magnus' et ‚Quod Deus dederit' omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum ‚Deus videt' et ‚Deo commendo' et ‚Deus mihi reddet'. O testimonium animae, naturaliter christianae! Denique pronuntians haec non ad Capitolium sed ad coelum respicit. Novit enim sedem dei vivi ab illo et inde descendit. — Tertulliani De testimonio animae 1: Sed non eam te advoco, quae scholis formata, bibliothecis exercitata, academiis et porticibus Atticis pasta sapientiam ructas. Te simplicem et rudem et impolitam et idioticam compello, qualem te habent, qui te solam habent.

e scripturis sacris scientiam suam haurientes, quum Deus „hoc instrumentum litteraturae adjecerit, si qui velit de Deo inquirere et inquisito invenire et invento credere et credito deservire“.[11])

Neque multo secus jam antea Irenaeus, Gnosticos e philosophia ethnicorum suam petivisse doctrinam probans, philosophos veritatem ignoravisse ac Deum unum et verum minime cognovisse statuit.[12]) Alio autem loco ethnicos nonnullos meliores, providentia ejus motos, Deum creatorem hujus mundi agnovisse profitetur.[13]) Sed quae de hac re disserit, idem valent atque illud Tertulliani testimonium animae, naturaliter christianae, neque Irenaeus ita philosophos, antea reprobatos, defendere vult. Contra eos enim eorumque filios, scilicet Gnosticos, et qui praeterea sunt haeretici, etiam atque etiam certam praedicat regulam ipsius veritatis, quae christianis exstat in scripturis sacris et traditione apostolorum.[14]) Hanc teneri, huic credi jubet, etsi non omnia, quae in scripturis sacris reperiuntur, intelligere possimus. Quae

---

[11]) Tertulliani Apologeticus 18: Sed quo plenius et impressius tam ipsum quam dispositiones ejus et voluntates adiremus, adjecit instrumentum litteraturae, si qui velit — —

[12]) Irenaeus: Adversus Haereticos II, 14, 7: Dicemus autem adversus eos: utrumne hi omnes (philosophi), qui praedicti sunt, cum quibus eadem dicentes arguimini, cognoverunt veritatem aut non cognoverunt? Et si quidem cognoverunt, superflua est Salvatoris in hunc mundum descensio. Ut quid enim descendebat? Numquid ut eam, quae cognoscebatur veritas, in agnitionem adduceret his, qui cognoscunt eam, hominibus? Si autem non cognoverunt, quemadmodum eadem cum his, qui veritatem non cognoscebant, dicentes, solos vosmetipsos eam, quae est super omnia cognitio, habere gloriamini, quam etiam qui ignorant Deum habent?

[13]) Irenaeus III, 25, 1: Necesse est ea, quae providentur et gubernantur, cognoscere suum directorem: quae quidem non sunt irrationabilia neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et propter hoc ethnicorum quidam, qui minus illecebris et voluptatibus servierunt et non in tantum superstitione idolorum coabducti sunt, providentia ejus moti licet tenuiter, tamen conversi sunt, ut dicerent fabricatorem hujus universitatis patrem omnium providentem et disponentem secundum nos mundum.

[14]) Irenaeus II, 28, 1: Habentes itaque regulam ipsam veritatem et in aperto positum de Deo testimonium non debemus per quaestionum

enim ejusmodi sunt, Deo dijudicanda relinquere debemus, neque mirandum est, si non omnia intelligamus, quum intellectus noster saepe ne ad naturam quidem perspiciendam aut explicandam sufficiat.[15])

Dubitari vero non potest, quin haec sententia cum doctrina theologorum nostrorum magis consentiat, quam illa, a Justino defensa et theologis scholae Alexandrinae. Sicut enim Tertullianus et Irenaeus testimonium exstare aut animae, naturaliter christianae, aut animi, quamvis ethnici providentia Dei tamen moti, statuunt: — ita theologi nostri notitiam Dei naturalem eamque insitam exsistere non solum contendunt, sed etiam contra Photinianos defendunt.[16]) Sicut autem illi ad salutem comparandam scientia de Deo christiana, e scripturis sacris hausta, opus esse neque naturalem sufficere contendunt, ita theologi nostri revelationem esse necessariam probant, quod sola notitia Dei naturali usus homo multa, quae salutem impetraturus credere et agere debeat, scire nequeat. Atque nihilo minus sententiae utrorumque prorsus inter se discrepant, licet saepius iisdem fere verbis utantur et idem omnino dicant. Neque enim idem, si duo idem dicunt. Illorum vero non modo argumenta diversa sunt, quibus perducti inter notitiam Dei naturalem et theologiam christianam discrimen esse contenderunt, sed ratio omnis atque natura illius discriminis dispar est.

Namque theologi ecclesiae priscae, philosophia vel omnino naturali hominum scientia diligentius tractata et cum theologia

---

in alias atque alias declinantes absolutiones ejicere firmam et veram de Deo scientiam. — Conf. III praef. 1 sequ.

[15]) Irenaeus II, 28, 2: Si autem omnium, quae in scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire — — — haec talia Deo cedere debemus, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia scripturae quidem perfectae sunt, quippe a verbo Dei et spiritu; nos autem, secundum quod minores sumus et novissimi a verbo Dei et spiritu ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum ejus indigemus. Et non est mirum, si in spiritalibus et coelestibus et in his, quae habent revelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum, quae ante pedes, multa fugerunt nostram scientiam, et Deo haec ipsa committimus.

[16]) Gerhard: Loci (ed. Cotta) III p. 46 ff.

christiana comparata, eas inter se diversas esse judicant, sive gravissimam esse hanc diversitatem contendunt, sive aliquam tamen similitudinem intercedere concedunt. Omnes autem, etiamsi philosophiam vehementer rejiciunt, tamen non dubitant, quin res revelatas intellectus humanus eodem modo comprehendere possit, quo res naturaliter notas. Ipse enim Tertullianus, cui illud adscribitur „credo, quia absurdum est", ipsius religionis christianae doctrinam viribus rationis humanae perspicere conatur[17]), atque Irenaeus, si aliqua scripturis sacris revelata intelligi posse negat, eodem loco in memoriam nobis revocat, ne naturae quidem res nos prorsus comprehendere.[18]) Immo vero veritatem christianam defendentes etiam argumenta rationis suas suscipere partes profitentur.[19])

Contra theologi veteres ecclesiae nostrae si revelationem divinam principium dicunt theologiae, ejus esse proprium judicant, propter hoc suum principium judicio rationis subjectam non esse. Invenerunt enim, rationem naturalem revelationem stultitiam habere. Atque hic quasi nervus doctrinae eorum de principio theologiae est, quod veritatem christianam proprio suo fundamento niti neque jugo alieno submitti volunt.

Iam igitur patet, et eos differre, et cur differant. Quippe quod in ecclesia prisca neque ipsa cognoscendi facultas perspecta erat, neque alia ratione alias res animum humanum comprehendere constabat. Theologi autem ad hanc rem animum advertere non coeperunt, antequam scholastici gravissimam in philosophia auctoritatem Aristoteli tribuerunt. Omnes enim, qui illis antecedebant, theologi, ut doctrinam christianam ratione sua et intelligerent et probarent, operam dederunt. Ita verbi causa Augustinus in libro de trinitate etiam hoc mysterium intimum reli-

[17]) Tertulliani De baptismo 2, 3. — Apologeticus 17—21.

[18]) Conf. Annot. 15.

[19]) Justini Apologia I, 20, 53, 58. (I, 180, 240, 252). — Tertulliani De poenitentia 1: Ceterum a ratione ejus (scilicet poenitentiae) tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore. Quippe res Dei ratio, quia Deus omnium conditor nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit, nihil non ratione tractari intelligique voluit.

gionis christianae explorare et exemplis illustrare conatur. Atque quod fuit controversia inter scholasticos priores, quorum alteri cum Anselmo fidem praecedere intellectum, alteri cum Abaelardo intellectum praecedere fidem contenderent, ex ipsa re, de qua disceptabatur, neminem dubitavisse cognoscimus, quin aliqua ratione intellectus humanus suis viribus veritatem christianam comprehendere posset. Nemo vero eorum contrariam impugnavit sententiam, esse in theologia fines, quos ratio humana transgredi non posset, quoniam de hac re, ut supra diximus, omnino nondum cogitaverant. Quamobrem exempla illa ex ecclesiae priscae theologia attulisse sufficiat.

Scriptis autem Aristotelis primum per translationes earumque commentatores, deinde ipsis cognitis et studiose exploratis, theologorum scholasticorum posteriores accuratius quam antea vires intellectus humani computare coeperunt. Philosophia enim Aristotelis sana qui eruditi erant, non omnia dogmata christiana nos sola ratione naturali cognoscere posse, facile intellexerunt. Ita vero Dei et existentiam et unitatem et quasdam perfectiones lumine naturae cognoscimus, distinctionem autem personarum natura prorsus ignoramus neque nisi gratia illuminati postea intelligere possumus. Quod verbis disertis Albertus Magnus[20]) et Thomas Aquinas[21]) primi docuerunt. Nam eorum sententia

[20]) Opera Alberti Magni Lugd. 1651 Tomus 17 p. 32: Philosophi per propria ductu naturalis rationis non potuerunt cognoscere trinitatem personarum. Anima enim humana nullius rei accipit scientiam nisi illius, cujus principia prima habet apud se ipsam. Haec enim sunt quasi instrumenta, quibus erudit se ipsam, et exit a potentia sciendi ad actum sciendi. Habet autem apud se, quod una natura simplex et indivisa secundum unam essentiam et unum esse non est in tribus personis, a se invicem distinctis personaliter: et ideo supra hoc vel praeter hoc vel contra hoc nihil accipit, nisi aliqua gratia vel illuminatione altioris luminis sublevata sit anima.

[21]) Thomae Aquinatis Summae theologiae P. I, Qu. 32, art. 1: Impossibile est, per rationem naturalem ad cognitionem trinitatis divinarum personarum pervenire. Per rationem naturalem cognosci possunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea, quae pertinent ad distinctionem personarum. Qui autem probare nititur trinitatem personarum naturali ratione, fidei derogat.

inter partes duas theologiae christianae distinguendum est, quarum alteram sua quisque ratione capere possit, alterius autem veritatem agnoscere nemini nisi ei contingat, qui antea fidem amplexus christianam lumine altioris naturae illuminatus sit.[22])

Albertus Magnus quidem angustissimis finibus eam coercet partem, quam judicio rationis subtrahit. Namque tres tantum illas doctrinas de trinitate, de incarnatione, de resurrectione enumerat, quas lumine connaturali intelligi posse negat. Verum Thomas saepius sola fidei auctoritate nititur, atque ea, quae fide teneri jubet vetatque argumentis e ratione petitis demonstrari, fines, ab Alberto descriptos, egrediuntur. Qui nihilo minus hanc partem theologiae christianae demonstrative probare audeat, eum ipsi fidei derogare. Nam qui ad demonstrandum, quod fidei sit, rationes inducat, quae ad aliis persuadendum non sufficiant, eum materiam irridendi infidelibus praebere, existimantibus, nos propter hujusmodi rationes credere, quae fidei sint.[23])

Duns Scotus deinde etiam mundum ex nihilo creatum animasque humanas immortales esse, quod utrumque lumine naturae constare Albertus et Thomas censuerunt, sola fide teneri jubet.

---

[22]) Alberti Opera l. c. p. 6: Noster intellectus perficitur luminibus et elevatur: et ex lumine quidem connaturali non elevatur ad scientiam trinitatis et incarnationis et resurrectionis. Ex lumine autem fluente a superiori natura ad supermundana elevatur, quae potentia sola divina et voluntate sunt. — Fides est lumen, locans credentes in prima veritate et primam veritatem in ipsis immobilibus. Et ideo sub lumine illius accipitur, quod sub lumine naturali non potest accipi. — Thomae Summa P. I, Qu. 1, art. 1 Necessarium fuit ad humanam salutem, esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam praeter philisophicas disciplinas, quae ratione humana investigantur. — Nihil prohibet, de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sint cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscantur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur. — Ib. art. II: Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis, notis lumine naturali intellectus, quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis, notis lumine superioris scientiae.

[23]) Ib. Qu. 32, art. 1 et Qu. 16, art. 2.

Cujus denique discipulus, Guilelmus Occam, omnem theologiam naturalem rejicit, nihil in theologia probari posse existimat, omnia tamen, quae doceat ecclesia, credere te jubet, ut meritum tibi pares.

Haec sunt vera initia doctrinae de principio theologiae, quam veteres ecclesiae nostrae doctores proposuerunt. In his enim quaestionibus doctrina illa imprimis versatur, utrum ratio humana suo jure de theologia tota judicet necne, porro, quo usque lumini naturae in articulis fidei pervestigandis et cognoscendis procedere liceat, quatenus autem theologia sola fide auctoritatis divinae nitatur. Neque vero Guilelmum Occam sequuntur, qui esse theologiam naturalem neget, sed Albertum et Thomam imprimis, qui inter naturalem theologiam et revelatam distinguant. Formaliter igitur, quae docent, similia sunt scholasticorum posteriorum sententiae. Materialiter vero de ipso principio proprio theologiae revelatae, judicio rationis non subjectae, minime cum his consentiunt. Illos enim, quamvis verbis disertis sententiam suam non proferant et locis aliis alia proponant, tamen articulos fidei vel doctrinam ecclesiae principium habuisse, neminem fugere potest.[24]) Atque de hac re valde discrepans judicium theologi nostri tulerunt.

[24]) Opera Alberti l. c. p. 12: Haec scientia separatur ab aliis principio, quia, quod in ista scientia probatur, per fidem, quae est articulus, qui creditur, probatur ut principium. — Thomae Summa P. I, Qu. 1, art. 8: Haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei, sed ex iis procedit ad aliquid ostendendum.

I. Exponitur doctrina veterum.

Veteres ecclesiae nostrae doctores non dubitaverunt, quin scriptura sacra norma sit unica et judex omnium ecclesiae controversiarum. Nam in ecclesia evangelica doctrina ecclesiae per se summa non valebat auctoritate, sed una scriptura sacra. Quodsi deinde principium quoque theologiae scripturam sacram esse statuerunt, qui primi in theologia positiva vel dogmatica ecclesiae nostrae versati sunt, nonnulli eorum, ut hoc multis argumentis diserte probarent, operam non dederunt. Quae enim alia res principium poterat esse theologiae quam scriptura sacra, quae in controversiis de fide ac theologia ea fuisset auctoritate, ut ad eam semper quasi provocarent? Hoc inter theologos omnes, qui fidem evangelicam amplexi erant, omni dubitatione sublata constabat. Quare Chemnitio, qui e numero fuit auctorum Formulae Concordiae, revelationem divinam vel scripturam sacram principium esse theologiae adeo persuasum erat, ut alia ejus praecepta de ratione docendi hoc quasi fundamento jam niterentur. Profitetur enim, quia ecclesia suo arbitrio nova dogmata non gignat, sine ulla controversia magnam vim in eo sitam esse, ut in promptu et quasi in conspectu sint selectissimae sententiae testimoniorum scripturae, in quibus verus sensus cujusque loci sine ambiguitate fundatus sit.[1]) Verba vero, quae sunt principium theologiae, nondum ei nota erant, at pariter ac posteriores scriptura sacra tanquam principio theologiae utebatur. Nec Hutterus quidem vocem illam usurpavit, sed in ipsa pervestigatione et expositione theologiae auctoritatem principii scripturae sacrae tribuit. Consuetu-

[1]) Loci theologici Mart. Chemnitii, editi opera et studio Polycarpi Leyseri. Francofurti et Wittebergae 1653 I, p. 15.

dinem enim dicendi sequens, qua Formula Concordiae usa erat, scripturam docuit regulam et normam habendam esse, ad quam ceu ad Lydium lapidem omnia dogmata exigenda et judicanda essent, an pia, an impia, an vera, an vero falsa essent.[2])

Johannes Gerhardus autem locum de scriptura sacra, quod unicum esset et proprium theologiae principium, aliis omnibus locis praemisit. Voluit enim, antequam ipsa exponeretur doctrina christiana, omnes scire, ex quo fonte hausta, qua lege judicanda esset. Nam hoc qui ignorat, quo jure nonnulla judicio rationis subtrahantur, intelligere nequit. Sed postquam Gerhardus jam ad ipsam doctrinam atque rationem hoc pertinere censuit — nam in primo, quem dicit, loco de scriptura sacra disseruit — posteriores de hac re in prolegomenis disputandum esse verius judicaverunt. Nam doctrinae exponendae ratio atque via constare debet, antequam ipsa doctrina exponitur.

Musaeus vero, theologus Jenensis, librum conscripsit, qui Introductio in theologiam inscribitur, in quo uberius quam ceteri de quaestionibus, quae ad theologiam constituendam pertinent, atque de his solis egit. Quem librum suum divisit in partes duas, quarum priore tria continentur capita, quibus de natura theologiae, theologia naturali, theologia revelata agitur, altera autem de objecto formali sive principio theologiae disputatur. Quod principium revelationem divinam vel scripturam sacram esse ubi probavit, ejus et naturam et singulas affectiones uberius exponit. Brevius quidem, sed eadem utens ratione docendi Baier, Musaei discipulus, in compendio theologiae positivae duo capita *προλεγομένων* de natura constitutioneque et de principio theologiae ipsi doctrinae praemisit.

Calovius deinde, etiamsi diligentissime et copiosissime multas et varias tractavit quaestiones, quae ad introductionem in theologiam pertinere videntur, tamen judicio et argumentis a Musaeo superatur. Etiam doctrinam de principio theologiae Musaeus diligentius et uberius quam Calovius exposuit. Quare

---

[2]) L. Hutter. Compendium locorum theologicorum. Wittebergae 1622 p. 9.

mirandum non est, theologos posteriores illum magis quam hunc secutos esse. Uterque enim, Quenstedt et Hollazius, Musaeum sibi potius quam Calovium imitandum videntur proposuisse.

Hunc igitur progressum atque cursum in doctrina de revelatione divina tanquam principio theologiae tractanda animadvertimus. Postquam superiores, quibus memoria controversiarum ecclesiae recens erat, non tam de principio theologiae, quam de judice et norma controversiarum disseruerunt, Gerhardus primus ipsam de revelatione divina tanquam principio theologiae doctrinam proposuit. Quam doctrinam quum ille primo loco tractasset, quo de scriptura sacra ageret, posteriores eam potius ad introductionem in theologiam pertinere judicaverunt. Neque est, qui hunc sententiarum progressum ipsis rebus respondere negare possit.

At hoc discrimen doctrinae proponendae et explicandae ad ejus formam tantum pertinet et locum, quem in universa theologiae dogmaticae disciplina obtineat. Nam quum de toto objecto doctrinae tum de singulis, quae huc spectant, rebus omnes fere consentiunt. Quare doctrinam eorum, quasi unius sit auctoris, exponere liceat. Quod quo accuratius faciamus, ipsorum auctorum quam saepissime utemur verbis, etiamsi interdum minus bonam sapiant latinitatem.

Revelationem divinam vel scripturam sacram unicum esse et proprium theologiae principium omnes docent unanimi.[3])

---

[3]) J. Gerhard: Loci communes theologici. Ed. Cotta 1762—81. II p 13.

Musaeus: Introductio in theologiam. Jenae 1678. p. 150.

Baier: Compendium theologiae positivae. Jenae 1708. I p. 64.

König: Theologia positiva acroamatica. Rostockii et Lipsiae 1719. p. 6.

Calov: Systema locorum theologicorum. Wittebergae 1655. I p. 268.

Quenstedt: Theologia didactico-polemica sive systema theologicum. Vittenbergae 1685. p. 32.

Hollazius: Examinis theologici acroamatici. Ed. IV. Rost. et Lips. 1725. I p. 22.

Theologia autem hominum in hac vita pro duplici ratione cognoscendi duplex est: naturalis et revelata.[4]) Communicatur enim tum per lumen naturae tum per lumen gratiae in verbo revelato accensum.[5]) Sed hoc discrimen ejusmodi est, ut inter christianos theologia revelata aut supernaturalis theologia absolute, naturalis vix aliter quam cum hoc suo additamento naturalis theologia dicatur.[6]) Itaque christiani si de principio theologiae disputant, semper ad theologiam revelatam neque illam naturalem spectant. Dicitur autem revelata a revelatione non illa generali, qua *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ* partim per notitias insitas, partim per res a Deo factas mentibus hominum innotescit (ab hac enim etiam naturalis theologia revelata dici posset, quum ejus ratio cognoscendi propria sit), sed a revelatione speciali.[7]) Tum igitur inter theologiam naturalem et revelatam, tum inter revelationem generalem et specialem distinguendum est, atque sicut revelatio specialis theologiae revelatae, ita revelatio generalis theologiae naturali respondet.

Namque revelatione generali adjutus homo etiam naturaliter Deum novit. Quae notitia Dei naturalis ea est, qua homo ex principiis natura notis existentiam, essentiam, attributa, actiones Dei quadantenus cognoscat. Dividitur in insitam et acquisitam. Notitia Dei naturalis insita est perfectio, homini viatori congenita et habitui analoga, qua intellectus humanus adjutus veritatem evidentium de Deo propositionum, apprehensis eorum terminis, citra discursum perspicit iisdemque indubitatum assensum praebet.[8]) Ad quam notitiam Dei naturalem insitam imprimis conscientia pertinet, quae vox Dei in mente humana dici potest. Notitia autem Dei naturalis acquisita est, quae tum ex aliorum testificatione tum ex creaturarum intuitu per discursum comparatur.[8])

Sed haec patefactio generalis, facta in mundi creatione et

---

[4]) Baier: Comp. I p. 4.

[5]) Gerhard: Loci II p. 6.

[6]) Baier: Comp. I p. 4.

[7]) Musaeus: Introd. p. 105.

[8]) Hollazius: Examen I p. 209. Gerhard: Loci III p. 42.

legis in corda scriptione,[9]) ad salutem hominum minime sufficit. Quamvis enim notitia illa Dei naturalis supersit, integram tamen et incorruptam legis et evangelii doctrinam de agnitione essentiae et voluntatis Dei mens humana post lapsum prorsus ignorat.[10]) Quam sui notitiam, ad salutem maxime necessariam, nisi Deus modo supernaturali hominibus communicavisset, in aeternum periissent. Neque inter christianos, in ecclesia natos, dubitatur, quin Deus, quae hominibus salutem impetraturis ad agendum et credendum necessaria sint, re vera modo supernaturali revelaverit. Quae revelatio specialis principium ejus est theologiae, quae ab ipsa revelata dicitur et inter christianos pro ipsa theologia habetur.

Haec vero revelatio divina specialis, statim incipiens post lapsum in protevangelio de semine mulieris, caput serpentis contrituro, varia fuit et multiplex.[11]) Numerantur autem vulgo quinque revelationum divinarum sive species sive modi, alloquium scilicet, prophetia, spiritus sanctus, Luces et Perfectiones, Filia vocis.[12]) Quorum modorum duo postremi, quum Deus nulla salutem adepturis necessaria iis revelaverit, huc non spectant.[13]) At reliqui tres revelationum modi hujus loci sunt et objectum formale theologiae vel certe ejus quandam partem, quisque pro eo temporis statu, quo exstitit aut existit, constituunt.[14]) Prophetia autem, quae duos speciales complectebatur revelationum modos, somnium scilicet et visionem,[15]) non habuisset rationem prophetiae et revelationis per prophetiam, nisi alia accessisset

[9]) Gerhard: Loci III p. 45.

[10]) Chemnitius: Loci III p. 216.

[11]) Musaeus: Introd. p. 226.

[12]) Musaeus: Introd. p. 226. — Gerhard: Loci II p. 18: Huc referendi sunt varii divinae patefactionis in V. T. modi. — Revelatio divina in V. T. fuit vel ordinaria vel extraordinaria. Ordinaria 1, per verbum, 2, per Urim et Thummim. Extraordinaria facta fuit vel vigilantibus vel dormientibus. Vigilantibus vel per nudas visiones vel per vocem. Dormientibus per somnia.

[13]) Musaeus: Introd. p. 227.

[14]) Musaeus: Introd. p. 227.

[15]) Musaeus: Introd. p. 228.

revelatio per illuminationem, qua ad illud ipsum, quod obscure per species rerum aliarum significabatur, recte cognoscendum elevaretur.[16]) Itaque revelatio divina ad revelationem per alloquium reduci potest.[17]) Nam etiam revelatio per spiritum sanctum nihil aliud est quam revelatio per alloquium, scilicet internum, quo Deus viris sanctis conceptus inspiravit atque ita, quae ipsis nota fieri vellet, manifestavit.[18]) Revelatio igitur divina specialis, quae huc spectat, verbum divinum est, aut viva voce promulgatum aut per spiritum sanctum viris sanctis inspiratum.[19])

Primum vero hae revelationes divinae a paucis, quibus obtigerunt, viva voce ad notitiam aliorum prolatae sunt. Vitae deinde humanae spatio abbreviato, invectis variis doctrinae corruptelis, accedente hominum informandorum infirmitate et memoriae imbecillitate,[20]) ut tamen praesto esset revelatio, ad quam in omni necessitatis casu secure confugi posset, divinae providentiae consultissimum visum est, capita divinarum revelationum scripto comprehendi.[21]) Ex multis autem principalia[22]) selecta sunt vel ea, quae ad poenitentiam et fidem et mores pie vivendi posteritati sufficere ab ipso Deo judicata sunt, quum quidem nec alia nec diversa nec contraria essent, quae viva voce tradita fuerunt, sed eorum brevis et sufficiens summa in scriptura comprehenderetur.[23]) Itaque quum scriptura nihil aliud sit quam divina revelatio, in sacras litteras redacta,[24]) inter verbum Dei

---

[16]) Musaeus: Introd. p. 229.

[17]) Musaeus: Introd. p. 234.

[18]) Musaeus: Introd. p. 235.

[19]) Musaeum hic imprimis secuti sumus, quia hanc doctrinae partem accuratius quam ceteri exposuit.

[20]) A Gerhardo (Loci II p. 26—28) hae enumerantur causae, de quibus Deus verbum suum in scripturas redigi voluerit: Vitae humanae brevitas, hominum numerositas, custodiae a traditione exspectandae infidelitas, memoriae humanae imbecillitas, coelestis doctrinae stabilitas, hominum improbitas, haereticorum perversitas. — Baier: Comp. I p. 65.

[21]) Baier: Comp. I p. 70 sequ. — Chemnitius: Loci III p. 216. — Musaeus: Introd. p. 232.

[22]) Gerhard: Loci II p. 16 et 17.

[23]) Chemnitius: Loci III p. 216. — Baier: Comp. I p. 65.

[24]) Gerhard: Loci II p. 18. — Quenstedt: Theologia I p. 33.

et scripturam sacram, materialiter acceptam, discrimen non exstat.[25])

Causa igitur efficiens scripturae sacrae eaque principalis Deus vel, quod eodem redit, spiritus sanctus est.[26]) Nam e revelatione divina, per alloquium internum vel inspirationem facta,[27]) scriptura sacra exorta est, ut Deus isque triunus[28]) jure solus scripturae sacrae auctor dicatur,[29]) sicuti ipse, leges in tabulas lapideas inscribens, sensu strictissimo initium scribendi fecit.[30]) Sancti Dei homines autem, quorum opera libri singuli conscripti sunt, non nisi causae instrumentales scripturae sacrae fuerunt; nam non propria voluntate, sed sicuti Dei amanuenses, spiritu Christi acti, ducti, impulsi[31]) manum calamo admoverunt.[32]) Cui veritati varietatem generis scribendi in scripturis opponere non licet, quod haec quoque ipsi Deo, auctori scripturae primario, adscribenda est, quippe qui in suggerendis verborum conceptibus ad indolem et conditionem amanuensium se accommodaverit.[33]) Ita vero si scriptura sacra tota absolute, simpliciter, absque ulla restrictione θεόπνευστος est,[34]) atque Deus non solum rerum scribendarum omnium conceptus, objectis conformes, sed etiam conceptus ipsorum verborum, quibus illi exprimendi essent, supernaturaliter communicavit intellectui scribentium,[35]) — etiam minus inter res, quas continet scriptura, distinguendum est, quasi Deus alias suggesserit, alias natura jam notas propheta sive apostolus propria voluntate commemoraverit. Nam contra non solum

---

[25]) Gerhard: Loci II p. 15.

[26]) Musaeus: Introd. p. 245. — Hollazius: Examen I p. 86.

[27]) Musaeus: Introd. p. 244.

[28]) Gerhard: Loci II p. 25 et 26. — Musaeus: Introd. p. 245. — Baier: Compend. I p. 64.

[29]) Gerhard: Loci II p. 18. — Calovius: Systema I p. 281.

[30]) Gerhard: Loci II p. 14 et 24. — Hollazius: Examen I p. 81. — Calovius: Systema I p. 285.

[31]) Gerhard: Loci II p. 26.

[32]) Musaeus: Introd. p. 252.

[33]) Baier: Comp. I p. 76.

[34]) Baier: Comp. I p. 69.

[35]) Baier: Comp. I p. 67.

rerum sublimium, humanae rationis captum excedentium, sed et ceterarum omnium, quas homines natura jam cognoscunt, tanquam in litteras referendarum conceptus scriptoribus sacris a Deo inspirati sunt.[36]) Quamvis enim revelatio sensu strictiore rerum tantum latentium et occultarum manifestationem significet, haec tamen vocis vis loco et instituto praesenti non respondet,[37]) sed revelatio et latiori significatu sumitur pro rerum quarumvis, etiam quae ductu luminis naturae cognosci possunt, manifestatione, modo supernaturali facta.[38]) Quamobrem supernaturaliter revelata dicuntur omnia, quae in scripturis divinitus revelatis continentur.[39]) Qualis quum intercedat ratio inter revelationem divinam et scripturam sacram, pro hodierno quidem statu ecclesiae nihil differt, utrum illa an haec principium theologiae dicatur. Nam revelatio divina hodie nonnisi in sacris litteris descripta exstat.[40])

Sin autem quaeritur, quo jure auctoritas ejusmodi, ut sit principium theologiae unicum, scripturae sacrae vendicetur, id propter ejus auctorem summo jure fieri patet. Nam quia scriptura sacra a Deo efficienter dependet, ejus auctoritas utique summa est, qua major nec dari nec cogitari potest: cujus dictis proinde fides prorsus certa et indubitata debetur.[41]) Sed quemadmodum ad auctoritatem scripturae cujuscunque auctoris perfectio ejusque ab illo dependentia non sufficit, nisi utraque nota sit, ita, ut scripturae sacrae divina auctoritas inter homines constare possit, nota esse debet ex parte perfectionum divinarum quidem summa Dei veracitas et potestas, ex parte scripturae sa-

---

[36]) Baier: Comp. I p. 69.

[37]) Musaeus: Introd. p. 155.

[38]) Hollazius: Examen I p. 93. — Musaeus: Introd. p. 155. — Calovius: Systema I p. 279: Materia revelationis varia est, aliae revelationes sunt merae fidei, de his, quae nota non sunt extra divinam revelationem, aliae sunt mixtae de iis, quae partim revelationis nota sunt beneficio partim aliunde cognita sunt.

[39]) Musaeus: Introd. p. 155.

[40]) Gerhard: Loci II p. 8.

[41]) Musaeus: Introd. p. 290.

crae autem divina ejus origo.[42]) De summa Dei veracitate et potestate quidem facile inter omnes convenit,[43]) quum Deum omnium esse veracissimum et potentissimum neminem fugere possit. Sed scripturam sacram Deo inspirante concinnatam esse, non aeque nobis evidens et natura notum est, neque ratione aliqua a priori demonstrari potest.[44]) A posteriori igitur ostendatur, necesse est.

Ii quidem, qui sunt in ecclesia, auctoritatem ideoque originem divinam scripturae sacrae sponte agnoscunt. Filii enim ecclesiae de veritate fundamenti, cui ecclesia innititur, dubitare non possunt, neque de auctoritate verbi divini, in scripturis contenti, possunt quaerere, qui vim et efficaciam verbi in corde suo ipsimet sentiunt et per illud ad vitam aeternam sese regenitos esse agnoscunt.[45]) Sed etiam sanabiles eorum, qui rejiciunt totam scripturam sacram, convinci possunt.[46]) Duplex enim datur notitia, qua scripturam sacram Deo inspirante conscriptam esse nobis innotescit: fidei humanae scilicet et fidei divinae.[47]) Atque quamvis in quaestione posteriori cardo et summa rei vertatur, tamen etiam prior suum habet insignem usum.[48])

Argumenta vero, quae divinam scripturae originem humana fide agnoscendam ceu credibilem declarant,[49]) *κριτήρια* sunt sive luculenta indicia divinae originis, qua sacrae litterae eminent: quae *κριτήρια* communiter distinguuntur in externa et interna. Illa extra scripturam aliunde assumuntur, haec ex intrinseca

---

[42]) Musaeus: Introd. p. 292. — Baier: Comp. I p. 85.

[43]) Musaeus: Introd. p. 297. — Baier: Comp. I p. 60: Continet enim revelatio divina haec duo principia: Unum, quicquid Deus dicit seu revelat, id verum est; alterum, quicquid in scripturis sacris continetur, Deus dicit. Prius principium evidens est ex natura et attributis Dei per lumen naturae cognitis.

[44]) Musaeus, Introd. p. 297 et 298.

[45]) Gerhard: Loci II p. 36.

[46]) Gerhard: Loci II p. 37.

[47]) Musaeus: Introd. p. 298.

[48]) Musaeus: Introd. p. 299.

[49]) Baier: Compend I p. 88.

scripturae sacrae natura ejusque proprietatibus petuntur.[50]) Atque κριτήρια sive signa credibilitatis externa sunt: scripturae sacrae antiquitas; ipsorum hominum, qui scripturam sacram consignarunt, quum notitia rerum tradendarum tum studium veritatis sincerum; miracula, quibus scriptores sacri et suam a Deo missionem et doctrinae suae divinitatem confirmaverunt; ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae concors et consentiens testimonium; martyrum constantia; felix et subita doctrinae christianae propagatio; alia denique haud contemnenda sed minus gravia.[51]) Κριτήρια autem sive signa credibilitatis interna sunt: Dei de se ipso in sacro codice testantis majestas, styli biblici simplicitas et gravitas, mysteriorum divinorum, quae scriptura pandit, sublimitas, omnium assertionum biblicarum veritas, praeceptorum sacris litteris comprehensorum sanctitas, sacrae scripturae ad salutem sufficientia.[52]) Quae signa sive motiva credibilitatis ad fidem humanam efficiendam et quendam tamen assensum doctrinae sacris litteris contentae eliciendum sufficiunt. At fides ipsa humana ad salutem non jam sufficit, quia opinionibus tantum nititur et satis debilis est.

Ergo requiritur, ut ad fidem humanam fides divina accedat. Quae fides divina non statim in intellectu, sed primum in voluntate nascitur.[53]) Nam quia objecta spiritualia nobis non sunt perspicua, ideo ad superanda, quae ex parte intellectus oboriri solent judicia perversa et actualem eumque supernaturalem assensum doctrinae sacrae praebendum, necessarium est, ut voluntas divinitus excitata in consensum trahatur ejusque imperio intellectus ad assensum determinetur.[54]) Quo facto etiam intellectus illuminatur seu, excitata cogitatione sancta et objecto congrua, doctrinae sacrae assensum praebet.[55]) Ratio autem

---

[50]) Hollazius: Examen I p. 117.

[51]) Musaeus: Introductio p. 377—457. — conf. Baier: Comp. I p. 64—69.

[52]) Hollazius: Examen I p. 121. — Musaeus: Introd. p. 305—77.

[53]) Baier: Comp. I p. 59, 60. — Musaeus: Introd. p. 491.

[54]) Baier: Comp. I p. 54.

[55]) Baier: Comp. I p. 104.

praecipua et ultima cognoscendi divinaque fide credendi divinam sacrae scripturae originem est testimonium internum spiritus sancti, cor humanum de θεοπνευστία sacrarum litterarum certificans et obsignans.[56]) Per quod testimonium spiritus sancti internum hic intelligitur actus supernaturalis spiritus sancti, per verbum Dei attente lectum vel auditu perceptum, virtute sua divina scripturae sacrae communicata, cor hominis pulsantis, aperientis, illuminantis, ad obsequium fidei flectentis, ut homo illuminatus ex internis motibus spiritualibus vere sentiat, verbum sibi propositum a Deo ipso esse profectum, atque adeo immotum ipsi assensum praebeat.[57]) Ipsa igitur scriptura sacra movet hominis intellectum in sui suaeque a Deo dependentiae assensum supernaturalem per se immediate,[58]) sed cum Dei concursu supernaturali.[59])

Haec revelatio divina, in scriptura sacra comprehensa, sive quod idem est, scriptura sacra,[60]) cujus originem divinam per testimonium spiritus sancti internum cognoscimus indubitataque illa et certa fide divina credimus, unicum et proprium theologiae principium est, quoniam theologia christiana doctrina est, ex verbo Dei exstructa.[61])

Nomine vero principii hic intelligitur principium cognoscendi[62]) sive objectum theologiae formale. Quemadmodum enim in aliis scientiis omnibus, ita et in theologia revelata objectum formale eadem res est ac principium cognoscendi.[63]) Materiale vero objectum theologiae sunt res quaecunque, nostrae salutis causa a veritate prima revelatae.[64]) Objectum autem ejus formale, si usitatam in scientiis practicis methodum sequi velimus,

---

[56]) Hollazius: Examen I p. 129.
[57]) Hollazius: Examen I p. 129.
[58]) Musaeus: Introd. p. 467.
[59]) Musaeus: Introd. p. 471.
[60]) Musaeus: Introd. p. 467.
[61]) Gerhard: Loci II p. 13.
[62]) Hollazius: Examen I p. 66.
[63]) Musaeus: Introd. p. 221.
[64]) Musaeus: Introd. p. 150.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

in ejus fine constituendum esset. Dicitur enim in unaquaque disciplina objectum formale, quod primum cognitum ratio est cognoscendi cetera, quae in ea traduntur. In practicis autem scientiis hoc primum cognitum finis est. Sed in theologia res secus se habere videtur. Ea enim finem suum non ita ut notum supponit, quin sub alia prius cognita ratione cognoscendi, nempe sub veritate prima revelante eum distincte tradat, explicet, confirmet, defendat.[65])

Scriptura igitur sacra theologiae objectum formale est sive principium cognoscendi idque incomplexum, quod est fons principiorum theologiae complexorum, quibus universa nostra nititur theologia.[66]) Nam quum tres inveniantur fontes principiorum, scilicet fons rationis, fons experientiae, fons auctoritatis fide dignae, — auctoritas divina fons est principiorum, quae in theologia exstant.[67]) Unde principium ejus complexum absolute primum est: quidquid Deus revelavit, infallibiliter verum est. Principium autem ejusdem quid et pro tempore praesenti primum est: quidquid scriptura sacra docet, infallibiliter certum est.[68])

Quia res revelatae[69]) sive veritates theologicae[70]) objectum theologiae materiale constituunt ideoque principia ejus complexa sunt,[71]) fons, e quo hauriuntur vel sicut e proprio principio deducuntur,[72]) revelatio divina est, in sacras litteras redacta. Natura enim homines eas, quamvis ad salutem necessarias, prorsus ignorant neque cognoscere possunt, nisi per manifestationem Dei, quae hodie in scriptura sacra tantum descripta exstat. Atque hoc primum significatur illa doctrina de revelatione divina tanquam principio theologiae. Accedit aliud vel potius sequitur ex illis: eandem summam esse normam cujusvis doctrinae de Deo

---

[65]) Musaeus: Introd. p. 151.
[66]) Hollazius: Examen I p. 66.
[67]) Hollazius: Examen I p. 67.
[68]) Hollazius: Examen I p. 67.
[69]) Musaeus: Introd. p. 150.
[70]) Gerhard: Loci II p. 10.
[71]) Hollazius: Examen I p. 66.
[72]) Gerhard: Loci II p. 10.

et rebus divinis. Quamvis enim etiam naturalis Dei notitia habeatur, haec tamen revelationi divinae subordinari debet,[73]) quum, quae naturali cognitione constant, a Deo patefacta perfectiori et certiori cognitione apprehendantur,[74]) neque ut naturaliter nota sed in quantum supernaturaliter revelata sunt, a parte theologiae considerentur.[75]) Sicut ergo in scientiis humanis habentur quaedam principia *αὐτόπιστα καὶ ἀναπόδεικτα*, certissima et indemonstrabilia, quae non dependent ex aliis, sed alia ex ipsis, ita in divinis tale principium scriptura sacra est.[76])

Quum autem multum turbarum omnibus temporibus in ecclesia excitaverit confusio doctrinarum philosophiae et evangelii, hoc discrimen diligenter accurateque considerandum est ac statuendum, quid philosophia agnoscat, et quo usque progrediatur: ubi deficiat: ubi erret, et quae sit sententia ecclesiae, ignota

---

[73]) Chemnitius: Loci I p. 21.

[74]) Calovius: Systema I p. 278.

[75]) Gerhard: Loci II p. 9. — Musaeus: Introd. p. 152. — Huc etiam referenda est doctrina de articulis fidei puris et mixtis. Articulus fidei est pars doctrinae, verbo Dei scripto revelatae de Deo et rebus divinis, peccatori salvando ad credendum propositis. Quare requiritur ad verum articulum fidei, ut verbo Dei scripto sit revelatus, ut salutem hominis respiciat, et praeterea, ut cum reliquis fidei dogmatibus arcte sit connexus, ut sit „inevidens". Ratione autem objecti articuli fidei dividuntur in mixtos et puros. Mixti dicuntur articuli fidei partes doctrinae christianae de illis rebus divinis, quae tum ex lumine naturae quadantenus sciuntur tum ex supernaturali lumine revelationis divinae creduntur. Articuli fidei puri sunt partes doctrinae christianae de mysteriis divinis, captu rationis humanae sibi relictae superioribus, divinitus tamen revelatis. Sin autem opponunt, non dari articulos fidei mixtos, quia, quae sint luminis naturalis et supernaturalis, nobis miscere haud liceat, respondetur, nullum articulum fidei formaliter consideratum, quatenus sit articulus fidei, mixtum esse, quum omnes articuli fidei pendentes a divina revelatione, adeoque ratione objecti formalis, inevidentes sint. Distinguuntur autem in puros et mixtos ratione objecti materialis. Nempe res illae divinae, quae articulis fidei, quos mixtos vocant, exponuntur, partim ex ratione partim ex divina revelatione constant. Hollazius: Examen I p. 46—48.

[76]) Gerhard: Loci II pp. 10, 11.

rationi, quam Deus sua voce patefecit.[77]) Philosophia vero ratione humana ejusque principiis, theologia autem revelatione divina nititur. Sed usum rationis etiam in theologia quadantenus admittendum esse patet. Ratio enim primum notat intellectum hominis, facultatem animae rationalis, qua opus esse in cognitione rerum quacunque nullum dubium est, quum non nisi ratione seu intellectu homo intelligat.[78]) Quaerendum igitur est, ubi in theologia ratione uti non tantum liceat, sed etiam necesse sit,[79]) quatenus autem eadem judicio rationis non sit subjecta.[80])

Usus vero rationis triplex esse potest, *ὀργανικός, κατασκευαστικός, ἀνασκευαστικός*. Usum hunc organicum quam maxime commendare oportet.[81]) Nam principia rationis organica vel formalia[82]) dogmatibus fidei et morum explicandis atque confirmandis recte adhibentur,[83]) quoniam sine illis nec sensus aut significatio vocum erui (quod est grammaticae), nec figurae modique loquendi expendi (quod est rhetoricae), nec connexiones et consequentiae percipi, nec discursus formari (quod est logicae) possunt.[84]) Ne-

---

[77]) Chemnitius: Loci I pp. 16, 17.

[78]) Calovius: Systema I p. 358. — Hollazius: Examen I p. 76: Sine usu rationis dogmata theologica neque percipere neque confirmare neque a strophis adversariorum vindicare possumus. Certe non brutis sed hominibus, sana ratione utentibus, Deus aeternae salutis sapientiam in verbo suo revelavit et serio iis injunxit mandato, ut verbum suum legerent, audirent, meditarentur. Requiritur itaque intellectus ut instrumentum apprehendens. Sicut enim sine oculis nihil videmus, sine auribus nihil audimus, ita sine ratione nihil intelligimus.

[79]) Gerhard: Loci I p. 76.

[80]) Gerhard: Loci II p. 371.

[81]) Gerhard: Loci I p. 76.

[82]) Baier: Comp. I p. 162.

[83]) Hollazius: Examen I p. 75.

[84]) Hollazius: Examen I p. 76. — Conf. Systema Calovii I p. 358: Principia rationis alia sunt prima, alia orta. Illius generis sunt, quae in theologia expenduntur: quae in omni disciplina adeoque ipsa theologia adhibenda esse nemo dubitat, quale v. gr. est illud: impossibile est, simul esse et non esse. Orta alia sunt organica, qualia in disciplinis instrumentalibus, Logica, Grammatica, Rhetorica locum habent, alia philosophica. Illa adhibenda esse in theologia, de quacunque aga-

que usus rationis κατασκευαστικός prorsus repudiari debet, quum lumen naturae homini sit, et per hoc notitia Dei naturalis comparetur. Sed intra hanc sphaeram theologiae naturalis usus rationis κατασκευαστικός restringatur, necesse est.[85]) Ἀνασκευαστικός denique seu ἐλεγκτικός usus, ut legitimus sit, ita comparatus esse debet. Confutandae prius sunt erroneae doctrinae ex scripturae sacrae fundamentis tanquam unico et proprio theologiae principio, postea etiam addi possunt rationes philosophicae, ut ostendatur, falsum illud dogma repugnare non solum lumini gratiae sed etiam lumini naturae. Verum ubi dogmatis alicujus veritas ex immotis scripturae sacrae fundamentis firmiter demonstrata fuerit, nullis rationibus philosophicis quantumvis speciosis ab ea nos deduci patiamur.[86]) Nam de articulis fidei puris nihil novit ratio sibi relicta, sed ad mysteria fidei caecutit et caligat.[87])

Ratione igitur in theologia multis et variis modis uti non solum licet, sed necessarium est. Non licet autem, rationem habere principium theologiae et judicem normamque controversi-

---

tur materia, itidem nemo sanus ambigere potest, quum sine principiorum istorum usu neque sensum vocum eruere neque connexiones aut consequentias percipere possimus aut discursum ullum instituere.

[85]) Gerhard: Loci I p. 76.

[86]) Gerhard: Loci I p. 77. — Conf. Systema Calovii I p. 360: Quod ad principia e disciplinis realibus philosophicis attinet, discernenda veniunt universalia a specialibus: illa, quae in prima philosophia locum habent, modo in abstractione Entis et intuitu non finitae tantum naturae, sed etiam infinitae formata sint, admittenda esse in theologia non diffitemur: quia transscendentia sunt et de omni Ente verificantur. Caeterum quod ad specialia attinet e. gr. physica principia, itemque si loco universalium quaedam, quae talia non sunt, obtrudantur, ea in controversiis theologicis proprie talibus (alia eorum est ratio, quae ad theologiam naturalem pertinent), sive purae fidei sint sive mixtae, ita ut alter terminus sit e philosophia, alter e theologia petitus, adhiberi nequeunt tanquam principia conclusionum theologicarum, e quibus illarum decisio et dijudicatio pendeat: illustrationis aut secundariae probationis causa, ubi e scriptura res definita est, admittimus, non autem demonstrationis aut decisionis causa, ut iis tanquam principio innitatur theologia aut theologus.

[87]) Hollazius: Examen I p. 76.

arum fidei.[88]) Rationis enim cogitata et effata non ad sphaeram earum rerum, quae sunt ultra omnem rationis captum posita, extendenda, sed intra sphaeram suam rerum finitarum coercenda sunt.[89]) Quod nisi fit, et ratio sphaeram suam vult *μεταβαίνειν καὶ ὑπερβαίνειν* et de summis fidei mysteriis ex suorum principiorum dictamine judicare, tunc vero non per se sed per accidens ratio scripturae, de fidei mysteriis nos informanti, adversatur.[90]) Sic inter sutoriam et pictoriam nulla per se contrarietas, sed quando sutor ultra crepidam, ut est in proverbio, assurgit et de omnibus pictoriae artis theorematibus judicium sibi sumit, per accidens fit, ut perverse judicet et pictoriae contradicat.[91])

---

[88]) Calovius: Systema I p. 363: Non tamen philosophica principia vel ratiocinationes ex illis factas pro principio in theologia admittere possumus aut committere, ut ex illis fiat judicium de rebus credendis. Multo minus concedendum existimamus, ut ex principiis particularibus, physicis seu naturalibus, de rebus supernaturalibus judicetur.

[89]) Gerhard: Loci II p. 371.

[90]) Gerhard: Loci II p. 372: Si opponunt Photiniani: Verum theologice non potest esse falsum philosophice, quia veritas est una, — respond.: per se et in se nulla contrarietas, nulla contradictio inter philosophiam et theologiam, quia, quae de summis fidei mysteriis theologia proponit ex revelatione, illa philosophia sanior ac sincera novit non esse discutienda et aestimanda ex principiis rationis, ne fiat *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, neve confundantur distinctarum disciplinarum principia distincta. — Quando vero philosophaster aliquis sua axiomata et effata vult esse tam generalia, ut ex illis etiam de summis fidei mysteriis sit judicandum, et sic fines alienos invadit, tunc ex accidenti contingit, ut verum theologice falsum dicatur philosophice, respectu scilicet habito non ad verum philosophiae usum, sed ad turpissimum ejusdem abusum.

[91]) Gerhard: Loci II p. 373. — Conf. Syst. Calovii I p. 363: Principia rationis non contraria quidem sunt theologiae, diversa tamen maximopere sunt ea, quae revelata sunt divinitus in scriptura et quae naturae lumine constant; et quum ista longe excedant et transgrediantur naturam, idcirco ex his aestimari nequeunt, multo minus impugnari debent. Non vero mysteria fidei eo sensu solum supra rationem posita sunt, quod ratio citra revelationem verbi ad eorum notitiam aspirare nequeat, sed etiam quod, ubi revelata sunt, ratio ea comprehendere non possit; tantum abest, ut juxta regulam suorum principiorum eadem examinare debeat.

Inter usum igitur rationis necessarium et pravum ejusdem abusum distinguendum est. Abutitur autem ratione in theologia, quicunque ejus judicia doctrinae, ex verbo Dei solide exstructae, opponit. Atque causa, cur ratio tam perverse de rebus divinis judicet, in eo sita est, quod per lapsum corrupta est. Sed ratio hominis regeniti per illuminationem rectificatur vel rectificari coepit.[92]) Quae ratio illuminata subjectum est recipiens seu cognoscens veritates theologicas[93]) et fidei mysteriis non repugnat. Tunc enim et tamdiu talis est, quando et quamdiu verbi lucem sequitur et de fidei mysteriis non ex suis principiis, sed ex sacris litteris judicat.[94]) Quare considerari recte potest et debet humana ratio dupliciter. Uno modo in opibus suis, quas suopte ingenio suis usa principiis, ut sunt communes notiones, sensus, experientia, inductio, acquisitas habet; altero in iis, quas sinu suo aliunde nempe revelatione divina excipit. Seu uno modo ut sine freno discurrit, quando suis fertur logismis, quocunque pedes ferunt; altero, ut sub freno discurrit, refrenata per verbum Dei et sub obsequium Christi restricta.[95]) Sin autem fit, ut etiam homo renatus rationis judicium veritati revelatae opponat, hoc non facit quatenus renatus, sed quatenus ratio ejus nondum plene renovata et rectificata est.[96]) Quemadmodum enim in renatis caro et spiritus inter se contraria manent, ut animi eorum sollicitentur ad peccatum, sic inter se contrariae manent in illis fides et ratio, nondum plene illuminata. In altera vita vero ratio plene rectificata, atque omnis repugnantia fidei et rationis exclusa erit.[97])

---

[92]) Gerhard: Loci II p. 372.

[93]) Hollazius: Examen I p. 75.

[94]) Gerhard: Loci II p. 371.

[95]) Gerhard: Loci I p. 77. — Calovius: Syst. I p. 363: Distinguendum autem inter rationem e scriptura sacra illustratam ceu renatam et rationem nonnisi juxta principia naturalia judicantem. Illam de rebus fidei judicare non negamus, huic vero judicium de illis competere inficiamur.

[96]) Gerhard: Loci I p. 77.

[97]) Gerhard: Loci II p. 372.

II. Dijudicatur doctrina veterum.

Ad veterum de principio theologiae doctrinam dijudicandam imprimis necesse est, ostendamus, quanam re quasi fundamento quodam tota illa doctrina nitatur. Tum autem quaerendum erit, num ipsum fundamentum sufficiat.

Quae docent theologi nostri de revelatione divina, quomodo promulgata sit et quibus de causis hodie nonnisi in sacris litteris descripta exstet, fundamentum doctrinae de principio theologiae efficere videntur. Nam quia auctoritas divina scripturae sacrae inest, principium dicitur theologiae; inest autem ei ejusmodi auctoritas, quod Deo inspirante revelatio divina in has litteras sacras redacta est. Videtur igitur generali de revelatione doctrina altera illa niti de revelatione tanquam principio theologiae. At contra si accuratius doctrinam eorum examinaverimus, inveniemus, eos usque ab initio principium theologiae quaesivisse suamque de revelatione doctrinam huic adaptavisse.

Quod facile demonstrari potest. Nam si ad doctrinam de revelatione bene illustrandam hoc maxime requiritur, ut notio revelationis accurate definiatur, et cetera, quae ad doctrinam pertinent, inde omnia deducantur, — tum vero doctrina de revelatione apud veteres ecclesiae nostrae doctores omnino non invenitur. Sed de scriptura sacra doctrinam proponentes etiam revelationem commemorant. Ita verbi causa Gerhardus in loco de scriptura sacra disserit de revelatione divina eaque speciali, ex qua illa exorta sit, generalis autem revelationis non nisi obiter quasi mentionem injicit, quoniam huc non spectet, sed ad natu-

ralem pertinens theologiam una cum hac tractanda sit. Sunt igitur, qui ne in eodem loco quidem de utraque parte revelationis disserant, et apud omnes haec doctrina alteri illi de scriptura sacra subjecta est.

Qua re factum est, ut omnem revelationem divinam ad manifestationem per alloquium reduci posse dicerent. Nam quia scripturam proprium revelationis esse finem ducunt, etiam ipsam revelationem mero verbo factam esse contendunt. Atque eadem de causa hanc ab illa sic distinguunt, ut doceant scripturam sacram verbum Dei in litteras redactum, revelationem autem idem esse, viva voce promulgatum. Qua sententia etiam revelationem generalem attingunt. Sic enim e scripturae sacrae natura revelationis notio pendet, ut multum non absit, quin generalem quoque revelationem ad alloquium aliquod reduci posse dicant. Ubi autem revelationem specialem accuratius illustrant, ubique annunciationem voluntatis Dei misericordis et praeconium verbi primo loco commemorant, quasi hoc unum sit proprium ipsius revelationis.[1]) Itaque primum patet, eos propter scripturam sacram doctrinam de revelatione, quae non solum verbo Dei sed et operibus et verbis facta est, prorsus neglexisse.

Neque minus elucebit, eos scripturae sacrae potestatem inde ab initio pro norma controversiarum ecclesiae theologiaeque principio habuisse. Quod jam e loco colligas, quo exponunt hanc doctrinam. Nam quia scripturam sacram principium theologiae esse ducunt, Gerhardus in primo loco de ea disserit, et posteriores ad introductionem in theologiam hanc doctrinam pertinere judicant. Porro autem in ipso doctrinae argumento idem inest. Minime vero e pervestigatione scripturae sacrae, qualis sit et quomodo sit exorta, suam de ea ejusque origine doctrinam hauserunt, sed ad infallibilitatem et auctoritatem divinam scripturae

[1]) Calovius, Systema I p. 285: Denique post legem in N. T. revelatio facta est per apparitionem filii Dei in carne, qui αὐτοπροσώπως in assumta humana natura ministerium praeconii subiit et voluntatem Dei annunciavit. — Hollazius, Examen I p. 87: Evangelium nihil aliud est, quam patefactio mysterii voluntatis divinae de redemptione generis humani et gratuita remissione peccatorum per Christum. —

sacrae, de qua iis jam persuasum erat, illustrandam ac probandam, eam a Deo tanquam auctore pendere statuerunt. Nam ipso illo modo neque alio doctrinam eorum natam esse, ut alia praetermittamus, id imprimis testatur, quod revelationem definiunt non modo patefactionem rerum occultarum esse, sed etiam manifestationem rerum natura jam notarum, modo supernaturali factam. Neminem enim fugere potest, hanc definitionem minime e natura rei proficisci, sed e metu, ne aliqua ex parte infallibilitas cum origine divina scripturae sacrae in dubitationem vocetur. Quid autem valeat haec origo, vix est, quod moneam. Nam si Deus re vera auctor scripturae sacrae est, non rerum solum conceptus sed etiam verba ab ipso inspirata esse, sequitur. Quod nisi factum esset, arbitrium humanum e scriptura sacra non prorsus exclusum neque infallibilitas ejus extra dubitationem posita esset. Qua infallibilitate et auctoritate scripturae sacrae opus esse censuerunt, ut judex solus solaque norma controversiarum de fide et theologiae principium suo jure diceretur. Patet igitur, eos, doctrinam suam de scriptura sacra exornantes, usque ab initio principium theologiae quaesivisse.

Itaque veterum ecclesiae nostrae doctorum de principio theologiae sententia minime eorum de revelatione doctrina quasi fundamento nititur, ut aliud ejus fundamentum verum quaerendum sit. Atque hic nobis monendum est, quid de ratione statuerint, qua christianis de auctoritate divina scripturae sacrae persuaderetur. Fidem autem humanam, qua creditur, et credibilitatis signa, scripturae sacrae insita, quae hanc fidem efficiunt, praetermittimus, quia signa illa singularem quidem suum habent usum, sed nondum efficiunt, ut verbo Dei assensus immotus indubitatusque praebeatur. Quem nulla nisi fides divina scripturae sacrae praebet. Sola autem ratio divinae originis scripturae sacrae fide divina credendae secundum omnes illos theologos testimonium spiritus sancti internum est. Quod spiritus sanctus, scriptura attente lecta vel audita, divinam ejus originem testatur, ea de causa christiani omnes, divinam scripturae sacrae sicut verbo Dei inesse auctoritatem, certa fide credunt et ingenue profitentur. Quae quum ita sint, hoc testimonium spiritus sancti

internum unum verum immotumque fundamentum esse, quo veterum de principio theologiae doctrina nitatur, non possumus, quin statuamus.

Quaerendum autem est, num hoc fundamentum ad doctrinam nostram sustinendam valeat. Primum vero inter christianos ecclesiae nostrae sine dubio constat, esse testimonium spiritus sancti internum, quod cor hominis scripturam sacram attente legentis vel audientis aperiat, pulset, commoveat, ut ei de veritate religionis christianae persuadeatur. Neque minus inter omnes fere convenit, hanc esse rationem praecipuam et ultimam religionis christianae certa fide amplectendae. Neque vero pariter omnes pro explorato habebunt, quid primo loco testimonium spiritus sancti efficiat, de quanam ergo re nobis per illud persuadeatur.

Veteres ecclesiae nostrae doctores, spiritum sanctum in cordibus nostris imprimis divinam scripturae sacrae originem testari, quasi uno ore docent, neque quisquam nisi unus Musaeus, praeter revelationem etiam res revelatas huc pertinere, monet. Sin autem probari potest, testimonio spiritus sancti veterum de origine scripturae sacrae doctrinam confirmari, — quaecunque et de natura et de affectionibus scripturae docuerunt, omnia probata sunt. Omnia enim ex illo facto effici cogique possunt. Negamus autem, hoc posse probari. At contra hujus testimonii natura ea est, ut ad res divinas, scriptura sacra contentas, neque vero ad ipsius scripturae originem pertineat. Etiamsi enim postea e persuasione de rebus divinis, per testimonium spiritus sancti comparata, colligamus, etiam scripturam, per quam illae cognoscuntur, ingenio non mere humano sed auxilio divino conscriptam esse, — de origine tamen scripturae sacrae ipso testimonio per se nihil probatur. Nam si illam ita legimus vel audimus, ut propter res lectas vel auditas, pulsantes corda nostra atque ipsas quasi praesentes nobis factas, prorsus obliviscamur, nos re vera nonnisi legere de his rebus, — tum vero in cordibus nostris testimonium spiritus sancti sentimus, quod existere re vera res illas nobis persuadeat. Quo magis igitur scripturam legentes prae rebus lectis ipsius scripturae obliviscimur, eo sumus propiores

ad testimonium spiritus sancti percipiendum. Atque inde fit, ut testimonio illo per se nihil de origine divina scripturae sacrae probari possit.

Quae veteres nostri theologi de scriptura sacra docent, omnia sine dubio agnoscenda sunt, si sententiam eorum de testimonio spiritus sancti interno veram esse constat. Demonstravimus autem, testimonium illud per se divinam scripturae sacrae originem non probare. Neque vero illos omnino de scriptura sacra perperam judicavisse, ex hoc sequitur. Sequitur autem in singulas doctrinae partes demo inquirendum esse, utrum verae sint necne. Itaque id quoque quaerendum est, num doctrina de scriptura sacra tanquam principio theologiae, fundamento corruente, quod apud veteres theologos exstat, obtineri queat. Atque ne hanc quaestionem dijudicantes in incerto versemur, quae theologi recentiores de hac re judicaverint, considerabimus. Sunt enim inter eos, qui, quamquam doctrinam veterum de testimonio spiritus sancti non probent, tamen ratione non prorsus dissimili, scripturam sacram principium esse theologiae, profiteantur.

Ac primum hi omnes specialem quoque revelationem divinam non solum verbis, sed et operibus et verbis usam esse docent.[2]). Quod autem non nisi praetereundo quasi commemora-

---

[2]) Nitzsch, *System der christlichen Lehre.* (*6. Auflage*) *p. 63 sq.: Zwar wird ganz gewiss, wenn geoffenbart wird, auf die erkennende Thätigkeit und Kraft eingewirkt; aber daraus folgt keineswegs, dass sofort die Offenbarung Gottes für eine göttliche Mittheilung gewisser, mehr oder minder übervernünftiger, Begriffe etc. zu erklären sei. — — — Sondern die wesentliche Neuheit der Erkenntnissweise entsteht in Begleitung und Gefolge einer das menschliche Leben oder den menschlichen Zustand überhaupt erneuernden Thätigkeit, nämlich der erlösenden Thätigkeit Gottes.* — Philippi, *Kirchliche Glaubenslehre I* (*2. Auflage*) *p. 12: Die Offenbarung des göttlichen Wesens vollzieht sich aber mit innerer Nothwendigkeit in den fortwährend mit einander verknüpften und sich begleitenden Formen der That und des Wortes.* — Rothe, *Zur Dogmatik* (*2. Auflage*) *p. 58: Diese* (*die heil Schrift*) *zeigt uns eine ganz anders geartete Offenbarung. Sie beschreibt sie vor allem als eine Reihe, und zwar eine stetig in sich zusammenhangende Reihe, von wunderbaren Geschichtsthatsachen und Geschichtsveranstaltungen.* — Omnino legas totam commentationem.

vimus. Nam de hac re accuratius quaerere inutile videtur, quia de ea quae veteres senserunt facile emendari atque corrigi possunt, et primordia sententiae sanioris jam apud Musaeum inveniuntur. At vero doctrina de scriptura sacra ea est, in quam accuratius inquirendum sit. Atque theologi recentiores agnoscunt, nos per testimonium spiritus sancti non de origine scripturae sacrae certiores fieri, sed de rebus divinis, quae ea continentur.[3]) Neque minus inter nos atque nonnullos eorum de hac re convenit, fidem scripturae sacrae et persuasionem de divina ejus origine in religione christiana amplectenda et intelligenda primum locum minime obtinere.[4]) Qui autem hoc non utique probat, cum ipsius suae de testimonio spiritus sancti doctrinae contradicere patet. Nam si primum de rebus divinis, quae scriptura sacra continentur, convictus sum, haec fides neque vero alia ulla prima est, ex qua cetera sequuntur.[5]) Itaque

---

[3]) Nitzsch, l. c. p. 100 seq.: Testimonium spiritus sancti internum verbis disertis non commemorat, sed quoad rem docet, illud per se ad originem divinam scripturae sacrae non pertinere. — Philippi, l. c. p. 129: *Gewiss ist der Geist Gottes das untrüglich bestätigende und unverbrüchliche Siegel der Wahrheit des Wortes Gottes. Das vom Geiste versiegelte Wort hat aber keinen andern Inhalt als Christum, den für uns Gekreuzigten, den Versöhnungstod des Sohnes Gottes.* — Kahnis, *Die Lutherische Dogmatik, historisch-genetisch dargestellt I p. 662: Somit verbürgt das Zeugniss des heiligen Geistes nur das in der Schrift, was Zeugniss von Christo ist: den Glaubensinhalt, die Heilssumme der Schrift. Die Inspiration aber betrifft nicht den göttlichen Inhalt, sondern den göttlichen Ursprung der Schrift.* Ib. p. 663: *Das Zeugniss des heiligen Geistes steht nur für die Göttlichkeit des Inhalts der Schrift, sofern er Heilsoffenbarung ist, und für den geistlichen Ursprung der heiligen Schriften im Ganzen ein, nicht aber für die Inspiration der Schrift in des Wortes specifischem Sinne.*

[4]) Twesten, *Vorlesungen über die Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche I p. 287: Man wird nicht behaupten wollen, dass im christlichen Bewusstsein der Glaube an die heilige Schrift das in sich selber feststehende Fundament aller andern Ueberzeugungen sei; er ist vielmehr selbst nur ein Bestandtheil der christlichen Ueberzeugung, der nur aus dem Ganzen zu verstehen ist.*

[5]) Philippi (l. c.) testimonium spiritus sancti non solum ad res divinas scriptura sacra contentas, sed etiam ad divinam ejus originem

fidem scripturae sacrae tanquam verbi divini non argumentum esse, quo tota nitatur fides christiana, hodie inter omnes fere constat. Atque illa, quamvis quam arctissime cum fide christiana cohaereat, quum per se ipsam constare non possit, multo minus ad aliud sustinendum valet. Quae quum ita sint, dubitandum est, num doctrina de scriptura sacra omnibus aliis praemittenda sit. Hoc fieri non posse, sed et de revelatione divina et de scriptura sacra intra fines ipsius systematis locis propriis disputandum esse, nos existimamus. Nam revelatio divina sic ad opera Dei externa pertinet, ut omnium eorum ipsa propria sit, scriptura sacra vero ad media salutis pertinet, inter quae summum obtinet locum. Neque autem qualis sit Dei revelatio, neque quae sint salutis hominibus omnibus communicandae media, nisi intra fines ipsius systematis exponi et intelligi potest.

Cui sententiae hoc opponitur, propter utilitatem doctrinam de scriptura sacra ex ipso systemate excipiendam et primo loco exponendam esse, quum et fonte theologiae et norma doctrinae opus sit. Enimvero in scientia quavis exponenda viros doctos minime coactos esse, ipsarum rerum sequi ordinem. Quare theologo licere, ex systemate excipere et primum tractare hoc, secundum quod ipsum systema disponendum, ex quo hauriendum sit. Quod fieri posse, a priori negari nequit. Sed scripturam sacram ita ex systemate excipi posse, et negari potest et negamus. Ut enim fieri posset, scripturae sacrae infallibilitas per se jam constaret, esset necessarium. Sed haec secundum ratiocinationem recentiorum, si unum excipimus Philippi,[6]) minime

---

pertinere vult. Quod si profitetur, eum, quum doctrinam de scriptura sacra tanquam principio theologiae obtinere velit, sibi constare nobis concedendum est. Sed argumenta non attulit, quibus et ad res et ad originem scripturae sacrae illud testimonium pertinere posse probaret. Necesse autem est, ut aut fides scripturae aut persuasio de rebus prior dicatur.

[6]) Philippi, l. c. p. 219: *Die Inspiration des Schriftwortes ist, weil eine nothwendige, auch eine dem Umfange nach unbeschränkte. p. 221: Die Inspiration der Schrift ist eine nothwendige, unbeschränkte, vollendet seiende, Form und Inhalt gleichmässig umfassende, ursprüngliche Erleuchtung.* — Qua doctrina de inspiratione nitens infallibilitatem scripturae sacrae absolutam suo jure obtinet.

constat. Nam si opus est, ut exponatur, quomodo et quatenus [7]) propter originem divinam scriptura sacra divinam obtineat auctoritatem, jam per se infallibilis non est. Ac si, eam principium esse, nihilo minus contenditur, negari non potest, in prolegomenis theologiae cujusvis dogmaticae de origine scripturae sacrae accuratissime e ratione artis historicae quaerendum esse. [8]) At ejusmodi quaestio, nisi verbis apertis historicum quoque finem tibi proponas, ad theologiam dogmaticam omnino non pertinet, nedum ejus principium constituere possit.

Causa autem, cur recentiores veterum de infallibilitate scripturae sacrae absoluta doctrinam non obtinuerint, in eo sita est, quod non idem atque ei de inspiratione sentiunt. Namque ubi ad divinam scripturae sacrae originem testimonium spiritus sancti per se jam pertinere negaverunt, veterum de inspiratione doctrinam defendi non posse, facile intellexerunt. Sin vero scriptura sacra a Deo non ita pendet, ut ipse ejus auctor sensu stricto dici possit, tum et illa qua ratione verbum Dei sit, et quatenus illius auctoritas divina valeat, quaerendum esse patet. At hanc rem nonnisi intra fines ipsius systematis dijudicari posse, neminem fugere debebat. Neque enim aliunde rationes desumi possunt, quibus illa quaestio dijudicetur.

Quae ad doctrinam veterum dijudicandam adhuc disputavimus, paucissimis verbis complecti liceat. Demonstravimus primum, eam testimonio spiritus sancti interno quasi solo et proprio fundamento niti. Quod testimonium ad res, quae scriptura sacra continentur, neque ad ejus originem pertinere, deinde ostendimus. Nostram denique exposuimus sententiam, illa doctrina de testimonio spiritus sancti reprobata, etiam alteram de principio theologiae probari non posse, quia fundamentum abesset, quo niteretur. Re vera enim neque fidem scripturae sacrae tanquam verbi divini initium esse veritatis christianae cognoscendae, neque ejus infallibilitatem absolutam per se ab omni dubio tutam constare.

---

[7]) Twesten, *Vorlesungen etc. I. p. 150.*
[8]) Kahnis, *Dogmatik I. p. 225 ff.*

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
3*
LIBRARY

Sed jam in veterum doctrina cum theologia priscae ecclesiae comparanda saepius diximus, eos hoc maxime petivisse, ut theologia revelata e solo fonte auctoritatis divinae hauriretur neque, quae uni normae verbi divini subdita esset, judicio rationis subjiceretur. Doctrinam igitur illorum de principio theologiae, etiam quod ad hanc ejus partem attinet, dijudicemus, necesse est.

Atque hic nobis primum commemorandum est, quam judicandi de illa distinctione inter theologiam naturalem et revelatam ejusque ad theologiam constituendam vi ipsa doctrinae historia suppeditet materiam. Omnes enim doctores recentiores, antequam theologiam revelatam vel christianam aggrediuntur, non de notitia Dei naturali, sed de religione generali, ejus origine atque fontibus in mente humana disputant. Ea ergo, quae hodie in prolegomenis notitiae Dei naturalis vice funguntur, multo magis religionis explicationem esse, statui potest. Nam sicut veteres, quae hominibus de Deo naturaliter jam nota essent, ad salutem autem non sufficerent, de iis in theologia naturali disseri volebant, ita recentiores, religionem hominibus naturaliter jam esse, ad salutem autem non sufficere, contendunt. — et utrique ab hoc placito ad revelationem revelatamque theologiam tractandam procedunt. Neque erit, qui his mutatis prolegomena theologiae dogmaticae emendata esse recentioresque ratione docendi accuratiore uti neget. Notitia enim Dei naturalis cum theologia revelata comparata est, religio autem, sicut in prolegomenis opus est, id universum significat, cujus pars quodammodo religio christiana dici potest. Huic ergo emendationi nos quoque assentimur.

Atque porro si rationem, suis usam viribus principiisque, theologiam christianam neque ex sese efferre neque dijudicare posse, veteres theologi nostri professi sunt, eos suo jure haec statuisse, concedendum est. Religio enim christiana e rebus gestis, qualescunque ratio humana nunquam per se jam novit, exorta est. Aliunde igitur eam cognoscat, necesse est. Deinde vero haec religio propter argumenta rationis neque suscipitur neque suscipienda est. Accedit, quod ratio ad res divinas percipiendas et dijudicandas non sufficit. Qua re fit, ut rationis non sit, de rebus

divinis, quae aliunde jam constant, judicare. Itaque quae imprimis veteres ecclesiae nostrae doctores ad illam de principio theologiae doctrinam statuendam commoverunt, ea etiam hodie constare existimamus.

Neque vero inde sequitur, doctrinam veterum de principio theologiae ea de causa probandam esse. Potest enim haec de humana ratione sententia etiam aliis argumentis probari, atque quibus illi usi sunt. Ut autem scientiam spectantes dijudicemus, utrum doctrina illa probanda sit necne, nunc iterum sententiam comparabimus theologorum recentiorum, quatenus hi, theologiam a judicio rationis quodammodo segregandam esse, profitentur. Atque hic primum nobis commemorandum est, recentiores scripturam sacram non unum habere principium theologiae dogmaticae sed praeter eam alterum aliquod principium materiale statuere. Quod quomodo accuratius definiant vel quo nomine significent, ad quaestionem nostram dijudicandam nihil valet. Apparet enim, eos omnes, hoc alterum principium constituentes, ut verbis Hollazii utamur, ad „fontem neque rationis neque auctoritatis sed experientiae“ spectare. Recentiores ergo theologi principia duo statuunt, quorum altero ad explicandam, altero ad probandam doctrinam utuntur.[9]) Haec sane scriptura sacra est, illud autem ipsas res, de quibus in theologia agitur, quasi in nuce continet, sive salus sive justificatio dicitur.

Non minus igitur de principio theologiae ejusque natura et vi, quam de scriptura sacra theologi recentiores aliud ferunt judicium atque veteres. Atque hanc veterum doctrinam re vera non jam obtineri et defendi posse patet. Nam si scriptura sacra solum esset et proprium in theologia principium cognoscendi et nomine hujus principii fons intelligeretur, e quo doctrina haurienda esset, — inter theologiam dogmaticam et aliam illam theologiae biblicae disciplinam, quae nostris temporibus exorta est, distingui non posset. Nam sive doctrinam scripturae sacrae unam esse existimaveris, sive alios ejus auctores quodammodo aliam exponere et illustrare doctrinam professus eris, minime

---

[9]) Kahnis, *Dogmatik III p. 1, 112.*

negabis, eam et in vetere et in novo testamento historiae ratione progressam esse. Itaque disciplina theologiae, qua doctrina scripturae sacrae exponitur, ad theologiam historicam pertinet. Quodsi ex ea, quam unam esse existimas, tanquam fonte veram theologiam dogmaticam haurire velis, alio jam principio tibi opus est, secundum quod doctrina disponatur, et dijudicetur, quae res, scripturis sacris revelatae, ad theologiam dogmaticam pertineant. Quam primum igitur theologiam dogmaticam exponendam aggressus eris, scriptura sacra jam solum ejus principium non erit. Quae quum ita sint, doctrinam veterum ecclesiae nostrae doctorum de revelatione divina tanquam uno theologiae principio reprobandam esse, jure inter omnes fere constat.

Sed recentiores quoque theologos doctrinam veterum usque ad certos fines obtinere et defendere, supra diximus. Quaerendum igitur est, utrum hoc suo jure fiat, an ab illa doctrina necessario discedere oporteat. Primum vero, quae de recentiorum de scriptura sacra sententiis supra disputavimus, ad hanc quaestionem dijudicandam pertinent. Namque si accuratiorem de ea ejusque auctoritate et infallibiltate doctrinam non nisi intra fines ipsius systematis exponi posse constat, principium theologiae dogmaticae esse non potest. Fundamentum enim, quo doctrina nitatur, ipsa doctrina non potest sustineri. Atque eum, qui accuratius inquisiverit, vix poterit fugere, tali principio theologiae non opus esse. Viri enim doctissimi, quorum commemoravimus sententias, ipsi alium doctrinae christianae exponendae modum indicare nobis videntur, ut sententia illa, scripturam sacram principium esse theologiae, a doctorum recentiorum ratione docendi fere nobis aliena esse videatur. Namque tota ratio omnisque natura doctrinae eo mutata est, quod et notio religionis vice notitiae Dei naturalis in prolegomenis fungitur, et in ipsa doctrina exponenda principium aliquod materiale primum et gravissimum esse profitentur. Atque in hanc mutationem, quatenus cum ratione docendi cohaeret, nunc denique paulo accuratius inquirere liceat.

Veteres ecclesiae nostrae doctores, quantum homines de Deo rebusque divinis naturaliter possent scire, quantum natura

ignorarent, ante omnia esse quaerendum existimabant. Itaque, quod esset principium theologiae revelatae, considerantes semper principium cognoscendi in mente habebant vel fontem, e quo veritates theologicae hauriendae essent. Eos igitur usque ab initio in theologia exponenda scientiam de Deo et rebus divinis quaerere neque inter res et rerum cognitionem distinguere patet. Contra theologi recentiores, qualis sit homini religio naturalis, et quantum ab ea religio christiana differat, primum perscrutantur. Quodsi principium theologiae christianae quaerunt, non tam principium cognoscendi quam principium rerum, de quibus in theologia agitur, invenire iis cordi curaeque est. Quin autem haec facientes rectius judicaverint, dubitari non potest. Nam religio christiana non primo loco in scientia de Deo versatur, quae cuivis alii scientiae aequalis sit, sed arctissima hominis cum Deo conjunctio est. Atque in theologia dogmatica hoc non quaeritur, quid novi per revelationem cognoscamus, sed qualis sit religio christiana, et quomodo, quam veram esse jam constet, eam comprehendere possimus.

Illis vero opus erat principio theologiae, quod et praeter notitiam naturalem fons esset, e quo articuli fidei puri haurirentur, et auctoritatem praeberet divinam, qua contra judicia prava rationis theologia revelata niteretur. Atque si sententiam eorum de scriptura sacra et de natura theologiae rectam fuisse constaret, scripturam sacram unum esse et proprium theologiae principium, negari non posset. Eos autem de utraque falsum tulisse judicium demonstravimus.

Contra si theologi recentiores, neglecta ea ratione docendi, quae usque ab initio fontes scientiae et principium cognoscendi quaerit, primum et imprimis ipsas res explorant, — doctrina de scriptura sacra tanquam theologiae principio a ratione docendi, qua ipsi usi sunt, aliena est. Quodsi religionis notione explorata et illustrata ad doctrinam de revelatione exponendam procedunt, illa veterum ratio docendi cum hac recentiori quasi confusa esse nobis videtur. Religio enim naturalis religioni quidem revelatae vel rebus revelatis aequalis est, minime autem revelationi divinae vel scripturae sacrae tanquam principio cogno-

scendi et fonti scientiae, quippe cui notitia Dei naturalis respondeat. Accedit, quod in ipsa doctrina exponenda res per illud principium materiale jam sine scriptura tanquam fonte exstant, ideoque huic principio re vera locus non invenitur. Neque enim doctrinae demonstrandae causa in theologia eam usurpare licet. In quavis enim disciplina, res ita se habere, probari vel demonstrari non potest, nisi ex ipsis rebus. Ut igitur dijudicetur, quid scriptura sacra ad theologiam dogmaticam constituendam valeat, quaerendum est, quomodo et quam arcte cum ipsis rebus in mente humana cohaereat. Haec autem quaestio in prolegomenis dijudicari potest, quippe quia non originem et auctoritatem scripturae sed ipsam ejus, qualis hodie sit, naturam et efficaciam quaerat.

Atque hoc fuit, quod diximus, alium docendi modum, cui scriptura sacra non jam opus esset tanquam principio cognoscendi, ab ipsis recentioribus indicatum esse. Quem qui amplectitur et utique sequitur, ei contingere, ut rectam viam in theologia dogmatica exponenda ingrediatur, nos existimamus.

Quae quum ita sint, contra judicia rationis perversa auctoritate principii alicujus in theologia niti nobis non licet. Quod re vera nemini licet nisi ei, qui cum veteribus absolutam scripturae sacrae infallibilitatem defendat. Sed etiam melius veritas christiana contra judicia ejusmodi perversa defendi potest, quum et e rebus revelatis et e natura rationis demonstrari possit, hanc sine jure de illis judicium sibi assumere.

Haec quidem hactenus. Iis, quae huc usque disputavimus, hoc maxime effecisse videmur, doctrinam veterum ecclesiae nostrae doctorum de revelatione divina tanquam principio theologiae reprobandam esse. Nam eorum et de scriptura sacra et de natura theologiae sententiam, qua illa doctrina niteretur, probari non posse ostendimus. Neque vero doctrinae recentiorum de principio theologiae prorsus assentimur; quum haec omnia,

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

quae apud veteres doctrinam illam sustineant, reprobaverint. Quod suo jure fecerunt, sed praeter ea etiam doctrina ipsa rejiciatur, oportet. Quae autem primordia alius docendi rationis apud recentiores jam exstant, ea persequamur, necesse est. Hoc vero quo jure fiat, si occasio oblata erit, uberius et accuratius exponemus.

rae
e # 7904

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.
7904.